



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica


Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

I. Disputatur de Jona patria,

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

Sion peccata vestra luitis, cum circumfessam videretis Hierosolimam, totamque regionem ferro flammaque vastatam, ita à reliquis gentibus criminum suorum poenas expectam. Non alio igitur detorquendam hanc pericopen ratus est Aben Ezra, non Tremellius, non alii plerique sacrorum Librorum Interpretes.



DE PROPHETIA JONÆ.

I. *Disputatur de Jonæ patria, II. & etate. III. Probatur Prophetie Jonæ veritas & antiquitas. IV. Ex libro Jonæ quedam manarunt Græcorum fabula. Disputatur de vera significatione vocis גִּיּוֹן. V. Refelluntur argumenta Adversariorum. Unicum argumentum.*

I. **D**E Jona quoque controversia est. Scribunt Hieronymus & Isidorus, opinari Ebraeos, filium eum fuisse viduæ Sareptanæ, quem ad vitam Elias revocavit. Causa credendi hæc est, quod Jonæ patri nomen fuisse dicatur Amathi: id Veritatem sonat; vidua autem post suscitatum puerum dixerit Elia: *Nunc in isto cognovi, quoniam vir Dei es tu, & verbum Dei in ore tuo Veritas est: Filium Amathi dictum, hoc est Filium veritatis.* Frivola penitus & cassâ sunt hæc, ex Rabbiniticis officinis profecta. Repugnat etiam locorum situs; nam Sareptanæ viduæ filium, Sareptanum & ipsum fuisse par est credere, cum Scriptura sacra Jonam de Geth-Opher prodisse tradat libro quarto Regum. Situm Geth-Opher accurate indicat Hieronymus, non longe à Sephor, quæ Diocæsarea appellatur, versus Tiberiadem, in tribu Zabulonitide, ubi & Jonæ sepulchrum suâ etate ostensum fuisse ait, nonnullosque carpit, qui in alia Geth, Lyddæ, seu Diospoleos proxima, natum eum & conditum volebant; Geth illam cum Geth-Opher, Diospolin cum Diocæsarea permiscentes. Benjamin quoque in Itinerario Jonam ad Siporin in monte sepultum tradit. Idem & indigenis persuasum fuisse ait Brocardus Argentoratensis in Descriptione Terræ sanctæ. Insaniunt ergo solennia Pseudo-Epiphanius, ejusque imitator Dorotheus, cum ex terra Carjathmaum, non longe ab Azoto, (seu Carjath-jarim legere mavis, quæ urbs est tribus Judæ, longe tamen ab Azoto) ortum fuisse garriunt, & in terra Saar mortuum ac sepultum, in spelunca Cenezæi judicis. Orthonielem intelligunt, unum ex Israëlitis Judicibus, filium Cenez, cui Caleb frater Axam filiam despondens, Carjath-sepher dori dixit. Est autem Carjath-sepher, quæ & Dabir, in tribu Juda. Atqui videtur Epiphanius ille nominum affinitate delusus, Carjath-sepher confundisse cum Geth-Opher, seu Geth-Epher; scribitur enim Ebraice גֵּת הָעֶפְרַיִם, *Geth-hachepher*. At Muhammedanos delirare sinamus, qui non longe à Ninives rudibus Jonam sepultum fuisse censent, ejusque tumulum venerantur.

II. *Quamvis autem Elia ævo vixisse Jonam Ebraei autument, Osææ tamen, Amosi, & Isaiæ æqualem ponunt, ut testatur Hieronymus. Sic visum Abrabanieli. In eadem opinione est Eusebius, & id pati possunt optimorum Chronologorum ratiocinia. Ut ut est, tempore certe præcessit partam à Jeroboamo de Syris victoriam, ut pote quam prædixit, quemadmodum habetur in quarto Regum; ac proinde Osææ, Amosi, & Isaiæ vel minimum æquævus esse potuit. Quatuor certe Majorum, & Minorum Duodecim Prophetarum nullum superest tantæ vetustatis vaticinium. In quæ tempora vero conferendum sit Niniviticum ipsius iter, atque hujus itineris historia, plane incertum est. R. David Kimchi, aliique Ebraei, Jehu filii Namsi, & Elifai temporibus adjungunt. In Sardanapali etatem, & initium Arbacis conjicit Scaliger, & in Joasi ævum, ac propterea Niniven à Deo destinatum vult fuisse Jonam, quo solutos in flagitia & libidinem ad Regis exemplum Assyrios ad meliorem frugem revocaret. Sed parum solida hæc videtur conjectura. Profecto qui Canonem Librorum sacrorum digesserunt, in collocandis Duodecim Prophetarum libris spectasse videntur rationem temporum, ut dixi, ideoque existimasse casum hunc, vel casus certe descriptionem, Osææ, Amosi, & Abdia prædictionibus supparem esse vel æqualem. Atque hæc est Clementis Alexandrini, Eusebii, Cyrilli, Augustini, Theodoretii, longèque plurimorum Interpretum assensione probata opinio. Quanquam multo longius abit Clemens, velut pristinae desertor sententiæ, cum signum Jonæ, postremam Danielis in lacum Leonum missionem, & Tobia junioris nuptias in idem tempus conjicit.*

III. *Quamvis autem manifesto non appareat, utrum Libellum hunc ipse scripserit*

Disputatur de Jonæ patria.

3. Reg. 17. 24.

4. Reg. 14. 25.

Hier. Proem. Comm. in Jon.

& etate.

Euseb. Præp. libr. 10. c. 14.

4. Reg. 14. 25.

Scal. animad. in Euseb.

Clem. Alex. Strom. 1.

Euseb. Præp. libr. 10. c. 14.

Cyrril. Præf. in Jon.

Augustin. De civit. Dei l. 18. cap. 27.

Theod. Proem. Comm. in XII. Proph.

Probatur